

† Fr.l. Xaverius (Iosephus Švoma) 1874-1949

(*Vice-Prov. de Bratislava*)

Die 11/X/1949 supremum diem obiit in nosocomio Trenchiniensi (Trenčín) frater laicus professus Xaverius (Iosephus Švoma) e domo nostra Kostolná, Vice-Provinciae Bratislaviensis.

Carissimus confrater in Moravia, in vico Pokojov, districtus politici Žďár, archidioecesis Olomucensis, piis parentibus agricolis die 18/I/1874 natus est. Vindobonae artem sartoriam addiscebat, cum eum Dominus et B. V. M. in nostram Congregationem vocaverunt. Die 8/XII/1901 in Eggenburg vota religiosa emisit. Plures confratres gratiam vocationis infeliciter amiserunt, ille fidelis usque ad mortem in Congregatione permansit. In Provinciis Austriaca et Pragensi, in Vice-Provincia Zwittaviensi et Bratislaviensi officio sartoris diligenter et patienter fungebatur, confra-

tribus libenter serviebat, vitam suam virtutibus SS̄mi Redemptoris sanctificabat, Ss̄mum Sacramentum unaquaque hora visitabat, rosarium B. M. V. devote et cum fiducia recitabat, hospitibus prout sartor prompte in cubiculis inserviebat. In sua Providentia Deus eum variis morbis affligebat. Praesertim per plures annos propter morbum nervorum saepius per diem in terram cadebat.

Die 8/IX/1949 vespere in Kostolná extrema unctione praesente communitate provisus est. Deinde per 31 dies in nosocomio Trenchiniensi grave purgatorium perpessus est. Inflammatio pulmonum dimisit eum quidem, sed morbus slovacche «rosa» dictus totum sinistrum pedem eius aperuit, corrosit, putredine implevit. Duobus ultimis vitae diebus sanies per os eius iam prodibat. In eius morbo visitavimus eum saepius et orabamus indesinenter pro eo. Denique Beatissima Virgo, Mater Dolerosa, in festo suae divinae Maternitatis, hora altera post mediam noctem, ex hoc terrestri purgatorio misericorditer eum eduxit. Sepultus est die 13 Octobris inter dilectos confratres in Kostolná, stipatus RR. Patribus et Fratribus e variis nostris collegiis et devoto fideli populo. Pl. R. D. Stephanus Leitmann, parochus-decanus nostrae parochiae Drietomensis, exequias funebrales gratae persolvit. R. I. P.!

P. FRANC. LESÁK C. SS. R.  
*Vice-Provinciae chronista.*